

Dilecti filij salutem et apostolicam benedictionem. Accipimus per nonnullos Romanos Pontifices predecessores nostros dudum nonnulla privilegia et Indulta concessa fuisse, quibus etiam consuetudines et statuta vestra approbata fuerunt, et super quibus Vos confirmationem et approbationem a nobis cupitis obtinere. Nos igitur vos non immeritis favoribus quos predecessores vestri prosequi volent, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, privilegia et Indulta vestra ut praemittitur, concessa, nec non consuetudines et statuta praedicta, quatenus ipsa statuta et consuetudines rationabilia et sacris canonibus non contraria, privilegia vero et Indulta in usu existant, auctoritate apostolica per litteras confirmamus et approbamus, rataque gratia firma et approbata perpetuo esse, et fore decernimus et declaramus. Decernentes vos per quosvis quacunque auctoritate seu dignitate fungentes quovis modo super contra tenorem praedictum molestari non posse, neque debere. Ac mandamus dilecto filio Provinciae nostrae Marchiae Anconitanae Vicelegato seu Gubernatori, ceterisque Gubernatoribus ac Potestatibus aliisque Iudicibus et Commissariis ecclesiasticis et secularibus quacunque auctoritate seu dignitate fungentibus, et futuris, ut vobis in praemissis omnibus et singulis efficacis defensionis praesidio assistent, vos desuper molestari non permittant, immo defendant, ac sub censuris ecclesiasticis, et penis etiam pecuniariis eorum arbitrio respectu imponendi, et applicandi omnibus vos desuper turbare volent, inhibeant, inobedientem et rebellem per easdem censuras et penas similiter respectu applicandi postposita compescant. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque in contrarium facientibus quibuscunque. Datus Roma apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris Die iiii May Anno Primo.

M. D. XXXV Pont.

Blois.



